THESES PHILOSOPHICAE,

Quas Auſpice ac Propitio

D. O. M.

Adoleſcentes Magiſterii Candidati, in ACADEMIA MARESCHALLANA, die Iulii, ANNO 1631. *Publice propugnabunt, ab aurora ad meridiem.*

PRÆSIDE IOANNE SETONO.

Niſi inter eos qui diſceptant conveniat, quid ſit illud de quo ambigitur, non rectè differi, nec unquam ad exitum perveniri poteſt. *Cic. ad M. Brut. Orat.*

ABERDONIÆ,
Excudebat Edwardus Rabanus. 1631.

PHILOSOPHORVM PRINCIPIS,

ARISTOTELIS,

Feliciſsimi naturæ Diſcipuli,

Magni, Orbis Domitoris *ALEXANDRI*, eminentiſsimorum *Doctorum: Angelici, Seraphici, Subtilis*, Irrefragabilis, Reſoluti, Profundi, &c. Noſtrique Præceptoris memoriæ & honori.

MULTORUM non modo nares, dulcis, lucelli odor opplevit, ſed & oculorum aciem, migrante vapore ita hebetavit, ut quibus maxime debeant, rariùs, quibus minùs, frequentiùs vigilias ſuas conſecrare ſoleant, unde Pluto quàm Minerva ſæpius Mœcenas audit. Hoc nos cacoethes tollendi ſtudio, Præceptoris noſtri ARISTOTELIS, laureâ & palmâ, memoriaque ſempiternâ digni honori, rudem hanc tenuioris ingenii noſtri opellam dicamus, corollas iſtas, & floſculos ad pedes fundimus. Cujus virtu-

tum, omne pene veſtigium humanum excedentium laude, cùm omne Athenæum perſonet, omnes ipſum uno, plenóque ore collaudent, variis præconiis efferant, ſitque ipſius, innata luce illuſtrius nomen, quam cui obſcura encomii noſtri fax præferri debeat, encomium noſtrum erit, fidelis, pro ingenii facultate, ipſius, dogmatumque tutela.

Alexander Silvius.
Carolus Papæus.
Georgius Monrous.
Gulielmus Blackhallius.
Gulielmus Dalgardnæus.
Gulielmus Ogſtonus.
Iacobus Anderſonus.
Iacobus Boydæus.
Ioannes Garantæus.
Robertus Fraſerus.
Thomas Lumſdenius.

THESES LOGICAE.

Thes. I.

Diù acritèrque à Philosophis, de Logicæ genere disceptatum est, quorum alii scientiam statuunt, quòd veræ propriæque in eadem demonstrationes referiantur, alii artem quòd instrumentorum fabricandorum doctrinam complectatur.

II. *Ad scientiæ dignitatem, Logicam evectam nolumus* (*dominæ titulo, ancillam non ornamus*) *cùm de necessariis simpliciter non sit, nec de iis, quæ secundùm naturam sunt talia, sed ex nobis.*

III. *Artem nemo Logicam dixerit, nisi qui artem, habitum verè cùm ratione factivum ignoret, sed rectissimè cum Zabarella, habitus instrumentarius dicetur.*

IV. *Antiquum inter Philosophos dissidium est, quâ intellectus operatione fiat universale quibusdam abstractivè, comparativè aliis fieri contendentibus: quorum nos sententiis, ad veritatis Philosophicæ amussim exactis, comparativè relictâ, sola intellectus ab inferioribus abstractione, universale formale, & omnibus numeris completum, fieri tenemus.*

V. *Permirum est, plerosq; hanc obesæ naris Philosophos, opinionibus quibusdam, quòd tritæ vulgóq; receptæ sint, quasi principiorum firmitatem tribuere, de earum nihil ambigentes veritate, quàmvis ne conclusionum quidem mereantur assensum, ut, quòd universalia, verbi causa genus, species, formaliter, ratione unitatis practicionis, seu aptitudinalis inexistentiæ considerata, rationis sint entia, secundæque notiones, cùm*

tamen hic nullam (ſola mentis negotiatione fieri univerſale hand inficias imus) rationis ens, ſecundámve notionem recta ratio invenire poſſit.

VI. *Quidam Philoſophi, univerſalium dualitatem (ſingularitatis gloriolam venantes) altera damnata ſententia, ſtatuunt, neſcimus quo, ab inferioribus abſtractionis modo, tanquam fundamento firmiſſimo nixi; quorum dualitati, noſtram nos pluralitatem, robuſtiore tibicine fulti opponimus, quibus quinarius prædicabilium numerus magis arridet.*

VII. *Non tantum, rationem univerſalis ex æquo participant quinque ſubjecta prædicabilia, (temerè ab univocatione ad genus, aut ullam univerſalis ſpeciem ducitur argumentum, nullo ſiquidem connexionis coagulo cohæreant) ſed & propriè dictæ ſpecies dici merentur, quicquid de analogia (haud analogicè) garriant alii.*

VIII. *Innumeræ ſunt diverſæ Philoſophorum de principio individuationis ſententiæ: bi formam illi materiam, alii accidentia, alii neſcio quam ſignatam materiam aſſignant, hominum non inſtruentes, ſed diſtrahentes ingenium. Nos, puriore Philoſophia veriſq; Philoſophis conſultis, nodum in ſcirpo quærere homines, cùm nullum ſit individuationis principium & cauſa realis, (ni,i, idem ejuſdem principium ſtatuere libeat) didicimus.*

IX. *Genus ſummum categoricum, cum aliis univocè in genere ſuperiore convenire quid vetat?*

X. *In primam & ſecundam ſubſtantiæ diviſio, multum variéque à pleriſq; vexata quæſtio, prima licet fronte ardua videatur, accuratiùs penſitata facilis deprehenditur: eſtque, non generis in ſpecies, cùm non æqualiter ut eſſentiæ gradus de illis prædicetur, nec totius in partes, niſi totum de partibus enunciari velimus, ſed ſubjecti in ſua accidentia diviſio.*

XI. *Subſtantiæ proprietas, qua contrariorum ſuſceptiva dicitur, realis & Phyſica non eſt.*

XII. *De primis ſubſtantiis prædicantur ſecundæ univocè.*

XIII. *Subſtantiæ ſubſtantia formaliter contrariari nequit, at virtualiter contrariè opponi nihil vetat.*

XIV. *Relationes formaliter acceptæ, contrariæ non ſunt, cum quædam*

dam ejuſdem ſint ſpeciei, aliis ſimultanea in eodem ſubjecto exiſtentia non repugnet, ut paternitati & filiationi.

XV. *Quorum relativorum fundamentum, veræ intenſionis capax eſt, aliáve ratione aliqua variabile, ea proprie, magis minuſve ſuſcipiunt.*

XVI. *Relationi ipſi, proprie convenit intenſio, non tantum per denominationem ab intenſione fundamenti factam, cum illa magis minuſve ſuſcipiat, fundamento non intenſo.*

XVII. *Sunt natura ſimul relativa, ideoque alterum alterius cauſa eſſe nequit.*

XVIII. *Relatorum unum, altero cognitione prius non eſt, ſed paritet cognoſcuntur, ignorantur: alterum tamen de alterius eſſe conceptu quidditativo & formali, aut unum per alterum definiri, nulla hinc conſequentia deduci poteſt.*

XIX. *Una numero relatio, ad diſtinctos numero terminos (ut vult cum ſuis diſcipulis Thomas) terminari nequit, nec eadem, verbi cauſa individua paternitas, ad plures filios extendi poteſt: relatio enim ſic ſuo eſſet termino tempore prior, ſed diſtinctos terminos diverſæ relationes neceſſario reſpiciunt.*

XX. *In relatorum prædicamento, tertii generis relativa, ut vera, realia, collocanda cenſemus, quippe quæ nulla rationis vi, inde extrudi queant.*

XXI. *Relativum non dicitur ſcibile, quod per eandem ad ſcientiam qua hæc ad ipſum referatur, ut docere videtur Cajetanus.*

XXII. *Exiſtentia, cum hominis qui genuit cum geniti, nullam paternitatem nec filiationem, patrem nec filium neceſſario infert.*

XXIII. *UBI, non eſt ut multi autumant, res aliqua, mobili ſuperaddita, modúſve intrinſecus realis præſentiæ, ratione cujus, res eſt formaliter in ſpatio immobiliter: fruſtra ſiquidem, ſine urgente neceſſitate multiplicantur entia.*

XXIIII. *Mobile, novo acquiſito loco realem ſubire mutationem minime negamus.*

XXV. *Novi loci acquiſitio ejuſdemá amiſſio, nec locantis nec locati motum localem, nec ullam prorſus ullius mutationem neceſſario arguit.*

XXVI. Habitus, *ſeu forma denominans, non eſt modus ali-*

quis realis, & intrinſecus in corpore, ex eo quod veſtiatur, armetur, reſultans, ut imaginatur Ruvio, alioqui, nihil alteri applicari poſſit, ſitra modi realis productionem, ſed eſt res ipſa corpori adjacens.

XXVII. *Habitus, intenſionis & remiſſionis eſt capax.*

XXVIII. *Propriè, non analogicè tantum, veſtiuntur, armantur, alia, præter hominem, animalia.*

XXIX. *Duo extrema ſimplicia, quæ de eadem re verè affirmari nequeunt, ſunt oppoſita.*

XXX. *Contraria, ſub eodem genere maxime diſtant, eidemque ſubjecto vicißim inſunt, unde ſe mutuò expellunt, niſi alterum inſit à natura.*

XXXI. *Qualitates in gradibus remißis, inter contraria non cenſent Conimb. quod ſimul ſubjecto inhærere ſint aptæ, quibus tamen contrarietas deneganda non eſt, cum iiſdem contrariorum definitio aptari poſſit.*

XXXII. *Contrariorum unum, alterum expellit, ſine ulla in ipſum actione, ut calorem frigus.*

XXXIII. *Ignis & aqua, vulg. contraria dicuntur, quorum tamen qualitates alteratrices, immediatè contrarias non dixerimus.*

XXXIV. *Relata ſub eodem genere maxime diſtant, ab eodem ſe ſubjecto expellunt, nec tamen ideneo in contrariorum numerum ſunt referenda.*

XXXV. *Contrariorum ſunt immediata alia, quorum alterum ſubjecto capaci ineſſe neceſſe eſt; mediata alia, quorum neutrum neceſſario ſibi vendicat ſubjectum aptum.*

XXXVI. *Privativè opponuntur habitus & privatio, quorum neutrum ſubjecto apto ineſſe neceſſe eſt.*

XXXVII. *Ad idem unmero, à privatione, regreſſus naturaliter eſt impoßibilis.*

XXXVIII. *A privatione tollente potentiam, ſive remotam, ſive propinquam ad idem ſpecie, regreſſus immediatus dari nequit.*

XXXIX. *Oratio enunciativa illa ſola eſt, quæ verum vel falſum, eſſe vel non eſſe ſignificat.*

XL. *Quod eclipſin de luna, potißima demonſtratione demonſtrari poſſe, doctißimus ſtatuat Zabarella, graviſſimè vapulat, ſed inſons & omnem*

omnem extra noxam: cum enim cauſam certam, proximam & adæquatam habeat eclipſis, à qua eſt & cognoſcitur, proprium que cui primò inſit ſubjectum, quis lunæ, per terræ interpoſitionem deliquium niſi rationis deliquium paſſus, à priori demonſtrari negaverit, utut, interpoſitionis terræ cum luna, nullus ſit neceſſarius connexus.

THESES ETHICÆ.

Thes. I.

Philoſophiam moralem propriè dictæ ſcientiæ nomine ornari minime patimur, utut in eadem quædam certò, evidenter, per vera principia cognoſcantur.

II. *Ultimum rationis judicium practicum, voluntatem neceſſario ſequi, ab eoque determinari ſtatuimus, nec tamen hinc fruſtra iniri conſilia, leges ferri, præmia, pœnas adhiberi concedimus, libero quippe arbitrio ſalvo, nec minima quidem ex parte imminuto manente.*

III. *Recte ſtatuitur paſſio, appetitus ſenſitivi motus, ex apprehenſione boni vel mali, cum aliqua corporis immutatione natus.*

IV. *Quicunque, paſſiones, partis cognoſcitivæ actus, opinionéſve cenſent, toto Cœlo errare videntur.*

V. *Suam appetitui rationali ſeu voluntati delectationem & triſtitiam, & id genus paſſiones alias competere, non negamus.*

VI. *Appetitum concupiſcibilem & iraſcibilem, animæ ſenſitivæ potentias, realiter diſtinctas perperam tenent Conimb., cum, ratione tantum, ſer ordinem ad diverſos actus & objecta differant. Intellectus plures, quibus diverſas, ſpirituales & corporeas cognoſcant, diſtinctas voluntates, quæ in res ſenſibiles & immateriales inclinent nemo conſtituit,*

quidni unus idemque appetitus ſenſitivus, omnes circa objectum ſenſibile actus præſtare poſſit.

VII. Inter concupiſcibilis appetitus paſſiones, quæ in proſecutione poſita, quæque circa bonum occupata eſt, prior eſt illa quæ in fugâ, aut circa malum verſatur, ut amor odio, abominatione deſiderium.

VIII. Eſt amor ſenſitivus & animalis, appetitus ſenſitivi paſſio, qua appetitus, ex præciſa boni apprehenſione, in illud fertur, & illi ſeſe unit: hic ponderis inſtar amantem in rem amatam trahit, inflectit, ut lapidem in centrum gravitas, unde recte quidam: amor meus, pondus meum.

IX. Amicitiæ amor, in illud fertur cui quidpiam volamus, concupiſcentiæ vero, in hoc quod alicui capimus & appetimus. Amoris amicitiæ objectum, ſimpliciter & per ſe diligitur, concupiſcentiæ vero tantum per accidens.

X. Præſente objecto, amoris ceſſare impetum minime cenſendum, ſed deſiderium tantum extingui, cum res præſentes ardentius amemus.

XI. Cauſam amoris eſſe bonum, neminem latet, cum ſinguli, ſibi connaturale & conveniens appetant.

XII. Magna eſt amoris conciliatricula, amantis amati ſimilitudo, ſuam enim quiſque, in alio imaginem intuens, ſeipſum in altero diligat neceſſe eſt.

XIII. Parit amorem, alterius quo nos ipſe amat amor, fieri enim nequit, quin qui variis beneficiis ab altero, affectus eſt, ſeſe ab eodem diligi noverit, ad eundem redamandum excitetur, nec cuiquam præcordia adeo ferrea, qui dilectionem rependere renuat, licet impendere velit, unde amor, amoris magnes recte nominatur.

XIV. Odium, appetitus eſt averſio a re, vel perſona, ex aliqua in iis diſconvenientia præciſe apprehenſa, eſtq; averſionis vel inimicitiæ, duplici, concupiſcentiæ & amicitiæ amori oppoſitum.

XV. Odij cauſa malum eſt, ſic & bonum, quia enim bonum proſequimur, malum illi repugnans deteſtamur.

XVI. Minime laudanda eſt, qua afficiuntur homines triſtitia, quod mali, rerum omnium copia affluant, iiſque, omnia ex animi ſententia cedant, utut malis bene eſſe, malam appareat, ipſique hujuſmodi indigni videantur. A ratione enim haud abhorret, infima hæc, fluxa, nullius momenti

momenti bona, ijs largiri DEVM, *ut hac ſua benignitate, ipſos ad ſe revocet, ut ſi ijſdem, æternis maximiſq; bonis privandis, os obturetur, omniſq;, ipſius ergà eos liberalitatem calumniandi, & obtrectandi anſa præcidatur.*

XVII. Objectum, potentiam ſuam perficere veriſſime dicitur, omnis tamen amor, amantem ladit.

XIII. Seipſum nemo odio proſequitur, cum omnia in proprium bonum propendeant.

XIX. Omnes licet naturaliter ſcire deſiderent, multi tamen cognitionem, veritatemq; oderunt, prorſuſq; extinctam volunt.

XX. Odium, appetitus ſenſitivi paſſio non modo circa ſingulare, ſed & univerſale verſatur, non enim hunc vel illum, ſed furem, calumniatorem unuſquiſq; odit, non tantum hunc lupum, ſed in genere lupum ut ſibi noxium averſatur ovis.

XXI. Non omnis præcepti omiſſio, nec omnis ſcientiæ debitæ ineſſe privatio, actu peccantem ſemper conſtituit.

XXII. Virtutes morales, non appetitum ſenſitivum, ſed voluntatem ut ſubjectum cui inhærent poſtulant.

XXIII. Apud Indos (idem de aliis cenſendum) maritis a conjugibus haud exigua intercapedine diſſitis, gignitur, concipitur inque lucem editur proles, quæ tamen nomine, nulla inter conjuges jurgia audiuntur, nec ulla ad judicem querela defertur, meriti vel demeriti judicium, æquum æſtimatorem penes eſto.

THESES PHYSICÆ.

Thes. I.

De primo cognito, quæſtione non minus ardua quam trita Thomæ, infirmiori innixi tibicini, ſententia (bona ipſius venia) rejecta, Scoti veriorem amplectimur, qui, cum univerſalia per abſtractionem a ſingularibus fiant, hæc illis priùs (de cognitione confuſa, tota vertitur controverſia) cognoſci tenet.

II. Cognitione confuſa originali (eſt originalis cognitio, rei prius non cognitæ apprehenſio prima) univerſalius, prius ab intellectu cognoſcitur: cognitione vero habituali (eſt habitualis cognitio, actualis, rei prius cognitæ apprehenſio) minus univerſale. Quocirca Zimaram, erroris arguimus, qui, modo univerſalioris, modo minus univerſalis notitiam intellectualem præcedere, nec ullam certam hac de re regulam tradi poſſe tenuit.

III. Materiæ cauſalitas eſt unio, ab ejuſdem entitate realiter diſtincta.

IV. Quamvis, compoſitum neceſſario conſtituat, ab eoque nulla ratione ſeparari queat materia, ab ejuſdem tamen eſſentia, remotam volumus.

V. Excellens quidpiam eſt forma ſubſtantialis, per quam, res eſt id quod eſt, & ab unoquoque diſcriminatur. Verum quæ noſtræ cognitionis eſt tenuitas, dix unam ex infinitis novimus, umbras quaſdam & veſtigia formarum conjectari cogimur: quam ob cauſam, formas ſubſtantiales, plerique negavere philoſophi, quippe quæ, nullo indicio cognoſci queant, nec ad eas, quas experimur rerum actiones, & differentias neceſſarias videantur, cum ignis, verbi cauſa, in ſuo eſſe ſufficienter conſtitutus intelligatur, ſummo calore & ſiccitate præditus, ſubſtantia licet his accidentibus ſubjecta ſit ſimplex. Erroris hanc ſententiam convincit, aquæ calidæ, ſeſe ad priſtinum frigus reducentis experimentum.

VI. Formarum materialium productionem, arduam ſemper duxerunt Philoſophi, quod earum origo, difficilioris indaginis ſemper viſa fuerit, ex nihilo ideo produci, aſſerere haud auſi, actu in materia præexiſtentes, non quidem integras & perfectas, ſed ſecundum quaſdam inchoationes, haud ignobiles philoſophi conſtituerunt: quos nos philoſophos, anxios nimis in re manifeſta diſquirenda fuiſſe credimus, cum cunctas formas, materiales juxta ac immateriales, ex puro puto nihilo produci certiſſimum ſit.

VII. Formam non fieri, ſed compoſitum, de potentia materiæ educi, non ex nihilo produci, a firmantium diverticulum ridiculum eſt.

VIII. Ex nihilo fieri aliquid, in nihilum quidpiam poſſe reverti, agentis virtute finita, nulli negamus.

IX. Princip

IX. Principium cauſandi formæ, ejuſdem eſt entitas, & natura, per quam, ſine ulla alia aptitudine, facultate vel potentia, materiam informando, compoſitumque conſtituendo, formalem ſuam cauſalitatem exercet.

X. Vt ſuum, forma munus obeat, ejuſdem præſentia, intimaque cum materia propinquitas, materiæque accomodata diſpoſitio (perperam quidam, formæ exiſtentiam, conditionem ut informet appellant) ut conditiones neceſſariæ merito requiruntur.

XI. Formæ cauſalitas, ab eadem, ex natura rei diſtinguitur, quippe ab illa ſeparabilis, ut in anima rationali, ab omni materia disjuncta, videre eſt.

XII. Eſt hæc cauſalitas, non materia, forma, aut compoſitum, ſed formæ cum materia unio; hæc enim poſita, quocunque alio præciſo, ſuam cauſalitatem exercebit, poſitis vero aliis omnibus, hac ſola ablata, otioſa interque jacebit.

XIII. Proprius & unicus formæ effectus eſt totum compoſitum, non duo, materiæ informatio, compoſitique conſtitutio.

XIV. Cauſa principalis effectus potior, nihil mouſtri nec abſurdi continet.

XV. Eſt cauſa efficiens, principium per ſe, unde primo eſt mutatio.

XVI. Cauſæ efficientis cauſalitas eſt actio, quippe hæc illam conſtituit, actuque cauſam denominat, eſtque id, quo proxime, per ſe ac intrinſece effectum attingit.

XVII. *A multis agitari ſolet quæſtio, poſſitne, ut cauſa principalis virtute propria, accidens ſubſtantiam producere, quibus, à nobis reſponſum eſto, ne alterum, alterius accidentis præcipuam eſſe cauſam.*

XVIII. *Triſtiſſima multorum Philoſophantium ſententia eſt, ſemen, ejus a quo deciditur virtute, ab eoque ut principali agente elevatum, effectum ſimilem producere, quam nos ſententiam non minus ineptam quam vulgarem remur: quo enim amabo modo, quod ſemen transfudit, hoc ſuum inſtrumentum, ad effectum, propriam virtutem nobilitate longe excedentem, elevare poteſt? cum nullum prorſus actualem concurſum præbeat, ſine quo, inſtrumenti elevationem, vix intellectum divinitus elevatum capere poſſe putamus.*

XIX. *Agens, a paſſo recipiente, ſuppoſito diſtingui, nulla urget neceſſitas, at tealem utriuſq; diſtinctionem in omnibus motibus Phyſicis, rerumque ſpiritualium, ut Angelorum (de potentiæ appetitivæ actibus nihil determinamus) actionibus omnibus manifeſta exigit ratio.*

XX. *Indagine dignaeſt quæſtio, an efficiens, in paſſum, in eodem ejuſdem qualitatis gradu ſibi ſimile agat: calor enim vel frigus alicujus corporis, ab agente contrario circundatum, ad reſiſtendum, illudve debellandum ſeipſum intendere, corroborare, viresque colligere videtur, ut in aqua putcali, tempore brumali, ob frigoris antiperiſtaſin calidiore appareat. v.n. omnis hæc actio, a proportione majoris inæqualitatis, & agente fortiore procedit, nec idem in ſeipſum, aliudve omnino ſimile agere, ullo modo admittendum.*

XXI. *Antiperiſtaſin, ut ſomniantium Philoſophaſtrorum ſomnium rejectam cupiunt nonnulli ſed temere, cum ea nihil ſit certius.*

XXII. *Valt Zabarella, antiperiſtaſin fieri, quando alterum contrarium ab altero obſeſſum intenſius & validius ſit, ebvirium collectionem, propterea quod vires unitæ, collectæq; majores ſint. Verba hic audimus, rem non percipimus. Qui quæſo tanta ſagacitate præditum eſt contrariorum unum, ut altero tanquam hoſte urgente, vires prius quaſi ſopitas & languidas ad ſe contra boſtilem impetum tuendum excitet, & colligat? Hæc igitur virium collectio, omni vi caret, prorſusque commentitia habenda eſt; vis quidem unita fortior, at intenſior minime dici potest.*

XXIII. *Solis calori, aqua æſtate, objecta, ob antiperiſtaſin frigidior fieri ſolet.*

XXIV. *Eſt finis, vera propria, realiſque cauſa.*

XXV. *Cauſalitas finis, in motione metaphorica poſita eſt, quæ voluntatis actum elicitum nequaquam antecedet, nec eſt finis bonitas quæ ſufficienter cognita, voluntatique propoſita, ipſam excitat, adque ſui amorem trahit, ſed ipſa eſt voluntatis actio.*

XXVI. *Male Ruv. motionem finis metaphoricam, ejuſdem bonitatem apprehenſam, ac appetitui monſtratam interpretatur, cum ſit in motione metaphorica, finis cauſalitas nequaquam conſisteret.*

XXVII. *Finis Cui, non niſi actu exiſtens, cujus vero gratia finis, cum*

tum acquirendus, tum acquiſitus cauſat.

XXVIII. Finis, non niſi realiter, non tantum objective exiſtens, actualiter movendi vi præditus eſt.

XXIX. Si quis nos, Cui, an cujus gratia fini, primæ tribuendæ ſint, ac uter ad alterum ordinetur ſciſcitetur, fini Cui, principatum tribuendum reſpondebimus.

XXX. Apparenti bonitate moveri voluntatem pernegamus, quippe quæ niſi a vera realique bonitatis ratione attrahi nequeat. Ut ſi aliena bona prædo rapiat, eleemoſynæ erogandæ gratia, vera & realis bonitas, non autem ejuſdem umbra, ad tale perpetrandum flagitium allectaret.

XXXI. Finis non niſi prævia intellectus cognitione cauſalitatem ſuam exercere valet.

XXXII. *Finis voluntatem movet, non ſecundum eſſe cognitum, ſed Reale.*

XXXIII. *Rem impoſſibilis, apprehenſa & cognita quod ſit impoſſibilis, appeti, ac voluntatem realiter movere poteſt.*

XXXIV. *Ad voluntatem alliciendam, nulla finis exiſtentia realis, nec actualis, nec poſſibilis exigitur.*

XXXV. *Divinæ voluntatis actus immanentes, liberæq; ejuſdem determinationes, finis cauſalitatem neſciant: divinæ enim voluntatis nulla eſt cauſa, nec cauſalitas finis, ſine efficientis, quæ a Deo, aliena eſt, reperiri poteſt.*

XXXVI. *Externæ Dei actiones, cauſam finalem admittunt, ſine ullo tamen in Deum, finis influxu.*

XXXVII. *Sicut cum omni agente creato, in genere cauſæ efficientis concurrit Deus, ſic ut ultimus finis in omnem creaturæ actionem influendo, cum omni fine proprio concurrit.*

XXXVIII. *Eſt idæa, conceptus formalis practicus operis producendi in artificis mente lateus.*

XXXIX *Idæas divinas dicimus non eſſentiam divinam, ſed rerum creandarum æternas, ac increatas conceptiones, in ipſa Dei mente realiter vereq; exiſtentes.*

XL. *Cauſa exemplaris ad efficientis cauſæ genus pertinet.*

XLI. *Hipparchus, tardius gravia in initio, naturaliter ferri tenet,*

net, quod violentiæ extrinſecus ſibi impreſſæ nonnihil adhuc retineant, qua in ſine penitùs evaneſcente, velocius ferantur. Non minus à veritate eorum deflectit opinio, qui ideo fieri volunt, quod multum aeris in principio, parum vero, loco ſuo, propinquiori gravi ſubſtet, parum autem quam multum facilius ſcindatur, minuſque obſiſtit. Nec Durandi applaudimus ſententiæ, qui deſcendenti gravi, minus in fine quam principio motus medium reſiſtere, quod aer terræ propinquus, minus ſit levis quam ſuperus docet. Hanc quidem ob cauſam fortius aer reſiſteret, cum denſior ac gravior, quam rarior difficilius dividatur.

XLII. *Velocitatis incrementum ex gravitatis augmento naſcitur. Maneatne vero idem, ejuſdem corporis pondus, à terra remoti, cîq. propinqui, qui ambigit, æqua lance trutinet, factoque periculo, ſuum nobis judicium aperiat.*

XLIII. *Gravium per aerem motu naturali deorſum, nihil certius videatur licet, inferiorem tamen ſedem, nunquam non violenter petere, citra omnem erroris aleam quilibet aſſerere poteſt.*

XLIV. *Statuunt Philoſophi magnitudinem potentia infinitam, ita ut appoſitione, & additione, major fieri poſſit in infinitum. Nullam tamen eo excreſcere molem putamus (in omnem æternitatem, perpete mundi, cum Philoſopho duratione ſuppoſita, licet additio fiat) totum terrarum orbem ut ſua quantitate excedat, hujus quippe quantitas maxima eſt, qua major dari nequit.*

XLV. *Humani intellectus bebetudinem, infirmitatemque ſatis prodere videtur, vel ranarum, muſcarum, aliorumque animantium ex putri materia genitorum, anxia productionis indago aliis in cœlum, in alias aliis cauſas referentibus, quarum omnium ſententiarum, procul illa dubio veriſſima eſt, quæ ideis Platonicis, iiſque ſolis, imperfectorum animantium virtutem productivam aſſignat. Si quis à trita vulgoq. recepta ſententia, ſeu recepta quidem, minus tamen animadverſa, vel unguem latum deflectat, in bebalatere anguem, dolumque ſubeſſe ſuſpicantur multi: nihil tamen in hac noſtra ſententia fuci, aut cerussæ, ſed ipſiſſima veritatis, nativo ſuo colore, picta facies perſpicitur.*

XLVI. *Tres accretionis conditiones neceſſarias exigit Philoſophus; ut aliquo extrinſecus introſumpto, omnibus proportione quadam,*

partibus

partibus auctis, idem manens vivens augescat.

XLVII. Homo a primo vitæ exordio, ad extremũ halitũ, deperditæ ac reparatæ carnis vicissitudine, nihil ipsum mutante idem manet numero.

XLVIII. In aliis viventibus, omnibus, materia, quæ in generationis principio præextitit, formaq; fluentib⁹. quam illa in principio vitæ numericam identitatẽ obtinuere, in fine minime retinere credendum est.

XLIX. Qua ratione humidum radicale, partesque spermaticæ (quo utuntur effugio multi, ad identitatem numericam viventis salvandam, difficultatem tamen non effugientes) caloris vi non consumptæ conservari possint, latere nos ingenue fatemur.

L. Quantitatis de novo productionem negant plerique qui materiam, non compositum, accidentium materialium subjectum statuunt, quod nullum novæ quantitatis, verbi causa, superficiei, corporis, fulcrum & vehiculum reperire queant cum tota materia, coava & coextensa sibi quantitate incorruptibili hactenus informetur: quibus, quilibet non lippiens, subjecto hoc minime abdito demonstrato, gratificari poterit, ut novæ quantitatis productionem agnoscant,

LI. In Lusitania, feruntur equæ flante Favonio, spiritum animalem concipere non tanta sit licet, nostrarum Scoticarum equarum fæcunditas sine ullo tamen a genitore deciso semine, alias equas producere possunt, cujus vero insolenti sideris borealis dominantis influxu, Astrologorum peritiorum esto judicium.

LII. Mixtionis doctrina, varios varie Philosophos jugiter exercuit, qui a veritatis orbita aberrantes in graviorum errorum præcipitia prolapsi sunt. Nobis penitius mistionis naturam contemplatis, semper falsa vija est Avicennæ sententia, formarum elementarium integrarum, nullaq; ex parte læsarum quaternionem in misto collocantis: vana quoque Scotæ Thomæq; (sepultorum ignoscant Philosophorum manes) opinio, qui, corruptorum prorsus elementorum formas, a misto exulare volunt. His igitur erroribus, tanquam sentibus præcisis, rectam regiamq; veritatis viam tenentes, laudatissimam doctissimi Averrois sententiam amplexi elementorum formas non quidem integras & illæsas, sed fractas & castigatas in misto retentas volumus, quam veritatis doctrinam, suo munit sigillo Philosophus, juxta quem, miscibilia nec omnino remanent, nec prorsus intereunt.

LIII. Elementa, non tantum reciproca qualitatum actione alterantur, sed in se invicem substantialiter transmutantur.

LIV. *Aqua in ignem, in aerem terra, non niſi mixto aliquo corpore medio mutatur: ex aqua tamen vel terra ignem, citra omnem, in immediatum elementum, tranſitum fieri haud ambigimus.*

LV. *Terra, in ſenſu compoſito, formam ſuas ſubſtantiali retenta, non modo aeri, ſed & igni, calore, levitate quandoque par eſt, regionemque ſuperiorem, ut ſedem naturalem (fruſtra evitatione vacui, quiſpiam hanc evacuare difficultatem nitetur) eodem quo ipſe aer, inſito appetitu petit.*

LVI. *Media aeris regio, communi Philoſophorum calculo frigida ſtatuitur, cui, à primeva origine à Deo injectum frigus autumant alii. vaporibus naturaliter frigidis, eò, ſiderum, attracta elatis frigiditatem acceptam referunt alii, quorum nos non refragamur ſententiæ.*

LVII. *De ſenſuum internorum numero, haud exiguum eſt Philoſophorum diſſidium, alii enim ex munerum, & quæ ab iis adminiſtrantur operationum diverſitate, tanquam firmo certoque potentias multiplicandi fundamento, quinque internorum ſenſuum, ex natura rei diverſas differentias aſtruunt; tres alii, nonnullis binarius magis arridet numerus. Nos vero unicum ſenſum internum ponentium ſententiæ, tanquam veritati magis, minus licet antiquitati conſentaneæ aſtipulamur, trito Philoſophorum effato (non ſunt ſine urgente neceſſitate multiplicanda entia) adducti.*

THESES METAPHYSICÆ.

IN DEO *eſt ſcientia perfectiſſima, at nulla, intelligendi actum, eliciendi facultas, nullus potentiam ad actum facilitans habitus, nulla ſpecies intelligibilis.*

II. *Res poßibiles, ſimplicis intelligentiæ, exiſtentes futuraſque viſionis notitia cognoſcit.*

III. *In DEO eſt appetitus naturalis & innatus ab elicito diſtinctus, qui naturæ pondus dicitur, quo ſe ſumme eſſe appetit, quôque tanquam propenſione naturali, ad ſe aliis cõmunicandũ propendet. Ne tamen hinc, appetitus ne fruſtretur, neceſſariam ſui rebus communicationem elicias.*

IV. *Ipſe Deus, aliaque omnia extra ſe, diſtinctè, clarè, & in particulari cognoſcit, nec quot per momenta ſingula naſcantur culices ſcire, divina majeſtate indignum eſt, nec hæc, aliaque viliſſima cognoſcendo, divinum vileſcere intellectum cenſendum eſt.*

V. *Dei voluntas, actus elicitiva, ac receptiva potentia non eſt. ſed actus ultimus, purus, ab ipſius ſubſtantia minime diſtinctus, nec in*

DEO

Deo potentia volendi, ſed volitio per eſſentiam dicenda eſt.

VI. *Immutabilitatis neceſſitate extra ſe omnia operatur Deus, nullum tamen ſuæ libertatis, divina voluntate, diſpendium patiente.*

VII. *Intelligentia quælibet, ſe, aliasq; intelligentias, omneſque univerſi res naturales cognoſcit, quippe objectum, potentiæ ſpirituali proportionatum.*

VIII. *Deum conditorem intelligentia, per ſeipſam intelligere eſt apta, alias vero mentes ſeparatas, nequaquam eodem cognoſcit modo.*

IX. *Certa effectuum contingentium futurorum notitia, mentibus ſupermundanis haud convenit, cum horum effectuum cauſæ, unde pendet cognitio, indeterminatæ ſint, effectumq; ſuum non producere poſſint.*

X. *Aliud intelligendi actus Angelorum, ſubſtantia aliud, hæc ab intrinſeco immutabilis eſt, illius immutabilitas, doctiſſimorum philoſophantium doctrinæ, ipſiq; veritati repugnat.*

XI. *Malè Durandus, quo ſeſe cognoſcit actum, ab intelligentiæ ſubſtantia, realiter differre negat, quod ab intrinſeco ſit omnis variationis expers.*

XII. *Mens ſeparata, licet Deum, per ſeipſam, ſine ulla media imagine contemplari poſsit, res tamen extra ſe poſitas, niſi ſpeciebus mediis percipere nequit, ideoque intellectu agente minime egere cenſenda eſt.*

XIII. *Merito Platonis explodenda eſt ſententia, qui ſubſtantias, omnis materialis concretionis expertes, formam in materiam inducendo, generationem perficere ſtatuit, nec minus Avicennæ damnanda ſententia, intelligentiam ſecundam, à prima productam, tertiam producere ſomniantis, cum nulla, ſubſtantiam producendi, intelligentiis creatis, virtus conceſſa ſit.*

XIV. *Corpora localiter movendi virtute præditi ſunt Angeli, ab intellectu & voluntate, non tantum ratione, ſed & reipſa diverſa.*

XV. *Intelligentiarum, non modo poſsibilitatem, ſed & actualem exiſtentiam, naturali innoteſcere lumine, nemo jure negare poteſt.*

XVI. *Duratio, non dicit exiſtentiam, ſucceſsionem cui coexiſtat, vel coexiſtere poſsit connotando, ut Ockam, & Gabrieli placet, multo minùs, ipſi entitati rationem ſeu relationem menſuræ addit, ſed exiſtentiæ nihil rei addendo, connotat præexiſtentiam, in permanentibus ratione tantum, in ſucceſsivis, re à ſeipſa diverſam.*

XVII. *Exiſtentia, citra omnem durationem eſt, prius quam hæc incipit, illa eſt indiviſibilis, finita hæc quanta, extenſa, infinita, nec ta-*

men re aut modo distingui, sed sola ratione necesse est.

XVIII. Non realiter distinguuntur, quia posita sola permanentia in esse, sine ullo addito, res durare dicitur: rationis differentia, ex unius de altero, per medium probationis facile innotescit.

XIX. Cujuscunque rei entitas successione vera, reali positiva careat, ejusdem duratio, omnem varietatem respuat necesse est.

XX. Perperam Bonaventura, rei permanentis durationem finitam, permanentem negat, inque durationem successionem fluxumq́, ab ejusdem entitate, omni varietate exclusa, admittit.

XXI. Est æternitas duratio, omnis successionis expers, juxta illud Boetii: est interminabilis vitæ, tota simul & perfecta possessio.

XXII. In Deo optimo maximo, permirum est durationem negasse Aureolum, cum, ex omni æternitate, durationem reali, intrinseca, infinita, increata, verè & propriè durasse dicatur.

XXIII. Fluxum successionemque vexit, non modo æternitas, sed & ævum, incorruptibilium duratio, cujus quicquid præterit, futurumve est, hac ipsa qua disputamus hora, imo hoc indivisibili nunc præsens est.

XXIV. Ævum, duratio permanens naturaque sua immutabilis, ac necessaria, ab æternitate deficit, quod hæc independens illa dependens sit: ab omni alia permanente duratione, ab intrinseco immutabilitas distinguit.

XXV. Pluralitatem ævorum, æviternorum multitudo arguit.

XXVI. Principio & fine destituta intelligentia, ac ab omni essendi ac operandi varietate libera, Æterna dicitur.

XXVII. Si quis, omnes omnium temporum annales evolvat, vix ac ne vix quidem, res duas, diversis distinctisque temporibus (hoc est hanc unam, illam alio tempore v. g hora, die, mense, anno) incepisse reperiet.

XXVIII. In ultimo instanti res durare, in primo nequaquam dicitur.

FINIS.

SCHEDIASMATA

PHILOSOPHICA,

De quibus A. P. D. O. M

Publica & solennis συζήτησις instituetur

15. Kalend. Sextil. horis pomeridianis,

In publico auditorio Academiæ Regiæ Aberdonensis;

Respondentibus Magisterii Philosophici Candidatis.

PRÆSIDE ANDREA STRACHANO.

TERENT. MAUR.

Fronte exile negotium,
Et dignum pueris putes.

ABERDONIIS,
Excudebat Edvardus Rabanus, 1631.

CUM PRIVILEGIO.

men re aut modo distingui, sed sola ratione necesse est.

XVIII. Non realiter distinguuntur, quia posita sola permanentia in esse, sive ullo addito, res durare dicitur: rationis differentia, ex unius de altero, per medium probatione, facile innotescit.

XIX. Cujuscunque rei entitas successione vera, reali positiva careat, ejusdem duratio, omnem varietatem respuat necesse est.

XX. Perperam Bonaventura, rei permanentis durationem finitam, permanentem negat, inque duratione successionem fluxumq́, ab ejusdem entitate, omni varietate exclusa, admittit.

XXI. Est æternitas duratio, omnis successionis expers, juxta illud Boetii: est interminabilis vitæ, tota simul & perfecta possessio.

XXII. In Deo optimo maximo, permirum est durationem negasse Aureolum, cum, ex omni æternitate, durationem reali, intrinseca, infinita, increata, verè & propriè durasse dicatur.

XXIII. Fluxum successionemque vesci, non modo æternitas, sed & ævum, incorruptibilium duratio, cujus quicquid præterit, futurumve est, hac ipsa qua disputamus hora, imo hoc indivisibili nunc præsens est.

XXIV. Ævum, duratio permanens naturaque sua immutabilis, ac necessaria, ab æternitate deficit, quod hæc independens illa dependens sit: ab omni alia permanente duratione, ab intrinseco immutabilitas distinguit.

XXV. Pluralitatem ævorum, æviternorum multitudo arguit.

XXVI. Principio & fine destituta intelligentia, ac ab omni essendi ac operandi varietate libera, Æterna dici nequit.

XXVII. Si quis, omnes omnium temporum annales evolvat, vix ac ne vix quidem, res duas, diversis distinctisque temporibus (hoc est hanc unam, illam alio tempore v. g. hora, die, mense, anno) incepisse reperiet.

XXVIII. In ultimo instanti res durare, in primo nequaquam dicitur.

FINIS.